...ndi

... theologicae ex prima secundae D. Thomae Doctoris Angelici depromptae.

# PROPOSITIONES
# THEOLOGICÆ
## EX PRIMA SECVNDÆ

D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI DEpromptæ, publicoque certamini expositæ à F. SIGISMVNDO GDOWSKI, Ord. B. M. V. de monte Carmelo, S. Th. Baccalaureo, ac in Alma Vniuersitate Crac. Professore publico: pro Comitijs Prouincialibus in Conuentu Cracouiensi ad ædes B. M. V. in Arenis. Calend. Sept. Anno M DC XIX. celebrandis.



CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis.

# IN STEMMA.



PEnna Iouis volucris dirâ transfixa ſagittâ,
Mirificam laudem, nobile ſtemma notat.
Hic nam Vir Magnus iuſto mortalia faſtu
Spernens, quæ mundus dicere ſumma ſolet.
Et ſuperæ Patriæ haud dubio perculſus amore,
Dum mente aligerâ ſydera ad vſq; volat.
Traiicit en ſubitò veræ pietatis Amator
Cuſpide, KLOCINII pectus amore flagrans.
Ergo Pater ſigno niteas digniſſime tanto,
Qui pietate vales, iudicioq; graui.

*Fr. Hyacinthus Liberius Caſimir. Can. Reg. Ord. S. Aug. minimus.*

*Admodum Reuerendo & Clariſſimo Domino,*

# DÑO MARTINO KLOCZINSKI,

# I. V. D. Celeberrimi Monaſterij SS. Corporis Chriſti Caſimiriæ ad Cracouiam Ord. Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Præpoſito Digniſſimo, ac Domino ſuo colendiſſimo.

Fr. SIGISMVNDVS GDOWSKI Carmelita, S. T. B. Fælicitatem precatur.

*ANtiqua & laudata ſanè cōſuetudo recepit Admodum Reuerende Domine, vt quotieſcunq; Comitia tàm Generalia quàm Prouincialia in aliquo Sacrorum præcipuè Mendicantium Ordinū celebrantur, Diuinarum ac humanarū literarum Profeſſores aliqua Theoremata ſiue ex Philoſophia ſiue ex Theologia, & maximè ad illam, quam præ manibus habeant materiam publico certamini ſubijciant, idq; cùm ob Religionis ſuæ publicum decus, tùm cōmunem litera-*

*torum vtilitatem, vbi ex mutuo ingeniorum conflictu veritas magis elucescit: & quadam ceu disputationis cote ingenia disputantium acuũtur. Cùm itaq; huius nostræ Polonæ Prouinciæ in Conuentu Cracouiensi, cuius alumnum & filium me esse agnosco, Comitia Carmelitana paucos post dies celebranda sint, vt muneri & officio meo satisfacerem: iure sanè meritò hos Iustitiæ Christianæ fructus ex Materia de Merito, quam in Alma nostra Vniuersitate Cracouiensi publicè prælegendũ susceperam, decerptos, ac publicæ velut disputatorum licitationi expositos, Tibi Vir Clarissime primum delibandos pro meâ semel tibi dicatâ obseruantia putaui. Quidni etenim primas hasce meas studij Theologici primitias Tibi primũ Patrono meo gustandas offeram? cuius præclara in Ecclesiam Dei & maximè Canonicorum Regularium Ordinem Augustissimum merita; magnam in omnium animis, qui ex æquo & bono iudicãt, admirationem, amoremq; honori iunctum Tuâ ipsius causâ conciliârunt: & immortalitatis illius Beatæ ad quam semper aspiras non dubium sanè Vadem interposuerunt. Loquuntur magna omnia de Tè voces omnium piorum ac sapientum, qui Te ad res Ecclesiæ, Religionis, atq; Literarum augendas & ornandas felici quodam sydere natum gloriose prædicant: qui Te rebus agendis etiam maximis oportunissimum, Religiosæ Obseruantiæ addictissimum, Ecclesiastico*

*nitori*

*nitori ac splendori deditissimum, literarum ac literatorum amantissimum, vno eoq; minimè adulanti sensu & ore libentes recognoscunt: ac in tanta virtutum Tuarum præstantiâ raram illam & sanè suspiciendam animi moderationem, grauitatis vrbanitatisq; sociam nunquam satis demirari possunt. Huc accedit quòd illa Tua eximia quâ multos superas humanitate ac hospitalitate, me vix primâ facie Tibi cognitum, in ipso, quod aiunt, hospitij limine ita Tibi deuinxeris & obstrinxeris, vt in Tuâ clientelâ imò etiam Aere totus ego quantus quantus sum æterno mancipio deuotus secundùm Deum viuere ac mori velim. Accipe itaq; Admodum Reuerende Domine hanc exiguam animi & gratitudinis erga Te Meæ significationem, & non tàm donum quàm donantis animum respiciens, munus oblatum hilari fronte excipere, donantem vero cæptâ beneuolentiâ & amore complecti non dedigneris. Deum Opt. Max. interim supplex oro, vt Te diu saluum & incolumem Ecclesiæ suæ, Reipub. Religioni Tuæ, & mihi quoq; conseruatum velit. Vale & Viue in Domino Felix. E Conuentu Carmelitano B. M. V. Arenis Crac. ipso Transfigurationis Domini nostri Iesu Christi die sacro, Anno eiusdem Redemptoris 1619.*

Admodum Reuerende & Clariss: Dominat: Tuæ
deditissimus exorator apud Deum

Fr. *Sigismundus Gdowski Carmelita.*

# ENCOMIVM.

*Rndo Patri S. Theol. Professori,*

# F. SIGISMVNDO GDOWSKI,

## Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo publice disputanti.

*Legum Tonantis Optimi.*

INterpres ac custos earum acerrimè,
Mortalis immortalibus.
Quæ sunt futura cælo præmia mentibus,
Dum copiosè prædicas.
Et ore facundo benignè disseris,
Quæ fata post crudelia.
Animas carentes labe maneant gaudia,
Inter fideles disputas.
Cæliq; Diuorumq; vigiles Theologos,
Humana mens vires supra.
Suas in astra se erigit dulciloquiis
Tuis disertis excita.
Speique fulta Christianæ fascibus,
Vtinam repulsæ nescia.

Nobis

Nobis quoq; ad summi Tonantis atrium,
    Virtus iter det inuium.
Vtinam beatis mentibus nostra pietas,
    Adscripta nos in patria.
Quam quisque nostrum sperat & fide tenet,
    Ornet Corona cælitum.

*M. Iacobi Vitelij*
*Phil. Professoru.*

# Propoſitiones Theologicæ.

## *De fructibus Iuſtitiæ, ſeu de meritis Iuſtorum.*

### *De merito de condigno.*

1. OPera iuſtorum, quæ ſunt Iuſtitiæ fructus, non ſolùm verè & ſimpliciter ſunt meritoria apud Deum, (quod eſt de fide contra Hæreticos nedum meriti nomen admittere volentes) ſed etiam de condigno, quod etſi ſub his terminis non ſit à Tridentino definitum eſt tamen illi valde cōſonum; imò & de Iuſtitia, (quod exiſtimo eſſe mētem Diui Thomæ)non tamē de rigore iuſtitiæ.

2. Gloria non datur iuſtis bene operantibus merè gratis & liberaliter,ſed ex debito. quod non fundatur in nuda Dei promiſſione, ita vt ſolùm maneat obligatus Deus ex veracitate & fidelitate remunerari opera illorum præmio gloriæ, ſed fundatur in conuentione & pacto, ſecundùm rationem dati & accepti, ac proinde eſt debitum iuſtitiæ.

3. Quod debitum non reſultat ex ſola extrinſeca ordinatione & acceptatione Dei, ſed ex intrinſeca conditione & proprietate ipſorum operum, vt procedentium ex gratia ſanctificante, ita,quod opera huiuſmodi orta ex gratia, ſint ordinata ad vitam æternam intrinſecè, & habeant æqualitatem cùm illa, non quidem ſecundùm eſſe formale & actuale, ſed ſecundum virtutem & efficaciam.

## De conditionibus requiſitis ad meritum de condigno.

4. PRima conditio requiſita ad meritum de condigno ex parte operis meritorii eſt,vt opus illud ſit actus poſitiuus,

uus, quicquid dicat Angestus, falsò existimans meritum posse saluari in sola priuatione actus mali, sine actu positiuo: imò falsò etiam fingit conatum medium inter actum & priuationem eius, cum hic conatus dari & haberi non possit sine voluntatis actu.

5. Secunda conditio vt sit actus liber saltim quo ad exercitium, quæ non solùm requiritur ex Diuina ordinatione, vt quidam falsò innixi fundamento existimant, sed ex natura rei, ita quod ad intrinsecam rationem meriti pertineat. Tertia cōditio vt opus sit bonum moraliter & honestum. Nam opus malum moraliter demeritorium potius est.

6. Quarta deniq; conditio est, vt sit aliquomodo supernaturalis ac procedens ab auxilio gratiæ, & licèt hanc quidam non videantur admittere, mihi tamen omnino certa videtur. Non est autem necesse quod actus non sit præceptus, non solùm enim opera consiliorum, vt falsò Cistercienfis censuit, sed etiam opera mandatorum, & præcepta, sunt meritoria apud Deum: quod certùm existimo etiam secundum fidem.

# De conditionibus requisitis ex parte operantis.

7. EX conditionibus requisitis ex parte operantis prima est, vt persona quæ meretur sit in statu Gratiæ habitualis, & filiationis adoptiuæ Dei. Vnde non solùm errauit Pelagius circa hoc, dicens sufficere vires liberi arbitrii ad meritum de condigno, sed etiam Baius, existimans sufficere sola auxilia sufficientia ad rectè operādum seruando mandata, etiamsi simus in statu peccati mortalis.

8. Secunda conditio vt sit viator, qui meretur. Quæ non est limitanda quoad præmium essentiale tantùm, ita quod

beati possint mereri de condigno præmium accidentale, & beatitudinem accidentalem, vt de Angelis beatis existimarunt Alensis & D. Bonauentura: sed intelligenda est absolutè, tam respectu præmii & beatitudinis essentialis quam accidentalis.

9. Ad determinandum autem statum viatorum, necessaria est diuina ordinatio, quæ interdum fit iuxta cōditionem naturalem talis status: qua ratione omnes spiritus videntes Deum sunt extra statum merendi; interdum verò ex Diuina dispensatione; & hac ratione Christus Dominus fuit viator in carne passibili non obstante visione beatifica, quia ex dispensatione caruit gloria corporis.

10. Cum tamen essentialiter fuisset beatus, non erat viator ad merendum essentialem beatitudinem, vel augmentum eius, sed tantùm accidentalem sibi. Nobis tamen essentialem etiam meruit: hac etiam ratione è contrario Dux & Patriarcha Religionis nostræ Elias, & Enoch, absq; visione Dei cōstituti sunt extra statū viæ, in eo statu, in quo nūc sunt

11. Probabilius enim mihi videtur, in hoc statu, in quo nunc sunt, habere quendam statum & viuendi modū præter naturalem homini ex speciali Dei prouidentia, redituri tandem in fine mundi ad statum viæ, in quo consumabunt sua merita. Quamuis etiam non censeam improbabile, pro hoc statu illos esse viatores, & de facto mereri. Tertia conditio vt mereatur, sibi & non alteri.

# De conditionibus requisitis ex parte præmiantis.

12. Ex parte Dei deniq; remunerantis prima conditio ad idem necessaria est, Diuina ordinatio operum iustorum ad rationem meriti, quæ est quid superadditum super

Grati-

Gratiam habitualem, etiam quatenus natura sua est ordinata ad beatitudinem. Et quamuis in operibus iustorū à Gratia procedentibus sit proportio & dignitas aliqua intrinseca ad vitam æternam, ratione cuius habent posse esse merita de condigno eius.

13. Præter hanc nihilominus intrinsecā ordinationē Gratiæ habitualis, necessaria est alia peculiaris ordinatio Diuina, qua voluerit talia opera acceptare ad præmium beatitudinis supernaturalis. Quod Concilio Trident. conforme mihi videtur Sess: 6. cap: 16. dicenti: *Magnam esse misericordiam Dei, quod voluerit nostra esse merita, quæ sunt sua dona.*

14. Secunda conditio ex parte eiusdem, ipsius promissio, ratione cuius fiat debitor præmii promeriti: quæ necessaria est ad completam rationem meriti, ita quod quamuis opera à Gratia procedentia influente, seclusa promissione habeant cōdignitatem ad vitam æternam proportionis medii ad finem, non tamen sunt verè meritoria de condigno eius, sine omni promissione Dei.

15. Tertia vt Deus in acceptandis meritis iustorum habeat respectum ad Christi merita. quam licet quidam admittere non audeant, ne videantur merita nostra, vel omnino, vel aliqua saltim ex parte ponere in imputatione extrinseca meritorum Christi Domini. Eam tamen in sensu bono & Catholico expressè vel saltim implicitè ponunt Doctores Scholastici.

16. Supposito pacto & promissione Deus dicitur debitor vitæ æternæ respectu iustorum benè operantiū ex Gratia, ita vt non solùm ex fidelitate & veracitate, sed etiam ex vera iustitia propriè dicta (quamuis non rigorosa) debeat reddere mercedem vitæ æternæ operibus iustorum procedentium à Gratia, atq; affectis omnibus conditionibus requisitis ad meritum de condigno.

17. Et non ex sola distributiua consistente in Geometrica æqualiitate, neq; ex sola commutatiua, sed ex vtraq;. Et neutra ratio iustitiæ est magis intenta altera, sed vtraq; illarũ per se commutatiua quidem. quia cuiq; confertur merces condigna, ac si non essent alii, cum quibus seruetur proportio: distributiua verò quia per se intendit etiam Deus, vt illa sit præmium multorum cum debita proportione.

18. Hæc autem proportio maximè pertinet ad perfectionem & pulchritudinem status beatifici, & corporis mystici compacti ex Deo vt capite & iustis, vt partibus & membris. Et ob primam rationem hoc præmium Iustitiæ vocatur in Scriptura merces, & propter secundam corona & brauium: & in hoc differt ab iustitia intercedente in punitione malorum, in qua magis seruatur commutatiua quàm distributiua Iustitia.

19. Meritum præmii essentialis non est limitandum ad actus elicitos à Charitate. Fit enim per actus aliarum virtutum etiã moralium; vnde talia opera sunt meritoria de cõdigno etiam præmii essentialis. Imò neq; limitandum est ad solos actus intensiores charitatis. quia etiam actus remissi sunt fructus iustitiæ, & comprehenduntur inter opera bona, quibus potest fieri satis Legi Diuinæ.

20. Supposito quòd persona, quæ meretur sit in charitate & Gratia, non est necesse, vt charitas ipsa influat in opus meritorium illud eliciendo vel imperando, seu in finem suum referendo: cum talis relatio neq; ex natura rei, neq; ex ordinatione Dei speciali possit ostendi necessaria ad faciendũ & reddendum opus verè & propriè meritoriũ apud Deum.

21. Actus virtutum per se infusarum in homine existente in Gratia per se, & intrinsecè sunt meritorii de condigno vitæ æternæ sine vlla supernaturalitate ab illis distincta, & absq; omni alia relatione extrinseca per actum aliquẽ ipsius operan-

operantis. Actus verò virtutum acquisitarum nulla ratione sunt meritorii, nisi aliquomodo ad ordinem supernaturalem eleuentur.

22. Actus virtutis acquisitæ si fiat vel imperetur ex quocunq; motiuo supernaturali, satis est ex hoc capite, vt sit meritorius de condigno vitæ æternæ, & augmenti Gratiæ potest autem dari in iusto opus honestum, non meritorium in ordine supernaturali: cum iustus possit operari opus honestum, sine speciali auxilio Gratiæ, non minus atq; peccator.

23. Actus iusti non possunt habere valorem & rationem meriti sine influxu aliquo Gratiæ in ipsos, & nisi imperentur ex motiuo supernaturali, referanturue in finem supernaturalem, quæ relatio non est necesse, quod semper sit actualis; sed sufficit quod sit vel actualis, vel virtualis solum reddens tali actui idipsum, quod actus alicuius virtutis imperantis solet reddere actui Imperato.

24. Ideoq; sicut actus imperatus habet etiam bonitatem propriam; & bonitatem actus imperantis in genere moris; ita actus virtutis acquisitæ, ex dicta relatione habet rationem meriti à motiuo supernaturali imperāte: immò aliquis modus physicus & realis reperitur in tali actu virtutis acquisitæ, relato in finem & motiuum supernaturale.

# De augmento meriti.

25. MEritum augetur intensiuè ex multitudine operum, siue meliorum aut intensiorum, siue æqualium, siue minorum. Nec audiendi sunt moderni quidam dicentes. Essentiale præmium non augeri ex multitudine meritorum sed ex sola intensione perfectissimi actus meritorii. Repugnat enim hoc Scripturæ dicenti: vnumquemq; recepturum secundum opera sua.

26. Vnumquodq; opus gratiæ eò magis est meritorium, quo plures conditiones participat ex necessariis ad meritum ex parte operantis. cum dignitas operis conferat ad dignitatem meriti. Vnde quò opus fuerit de meliori & perfectiori obiecto, meritum etiam cæteris paribus erit maius. Sic in Scriptura maius meritum tribuitur operibus de digniori obiecto, vt virginitati quàm Matrimonio.

27. Omnes circumstantiæ augentes actus bonitatē, conferunt etiam ad augmentum meriti, & quò actus aliquis habuerit plures rationes honestatis, eò magis cæteris paribus erit meritorius. Et ideo opus factum ex voto iuxta D. Thomam magis meritorium est, quàm sine voto. actus etiam intensior cæteris paribus est magis meritorius, cum plus habeat de Entitate & honestate actus.

28, Continuatio seu perseuerantia in eodem actu bono, sine alia mutatione in illo confert etiam ad meriti augmentum. Licet enim fortassè non crescat Physicè, aut addatur quidquam actui, Moraliter tamen crescit obsequium, quia maiori tempore pro Domino laboratur, atq; adeò maiori laude dignus est, qui in eodem actu virtutis diuturnius perseuerat, quàm qui cito omittit actum inchoatum.

29. Quamuis pium & probabile sit dicere, meritum augeri ex sola dignitate; sanctitate, aut gratia habituali operantis: mihi tamen oppositum probabilius videtur. Non enim merentur homines nisi per actus, nec sunt iudicandi ex habitibus, sed ex actibus, Scriptura dicente; vnūquemq; iudicandum & recepturum prout gessit in corpore siue bonum, siue malum.

30. Promissio Diuina cum non sit Moralis circumstantia operis non confert ad meriti augmentū, neq; facit opus dignius aut magis proportionatum ad meritum; confert tamen ad hoc, vt opus habeat maiorem vim ad obligandū

ex iustitia. si vero opus non excedat dignitatem meriti, fieri potest vt ratione promissionis ei debeatur maius præmium, quàm si minus promissum esset.

## De donis Gratiæ cadentibus sub meritum.

31. OMnia dona & auxilia Gratiæ, quæ dantur homini prius tempore quàm iustificetur, & consequatur remissionem peccati mortalis, vel originalis, non cadunt sub meritum de condigno personæ creatæ. Dixi autem personæ creatæ, quia respectu personæ increatæ Christi, omnia conferuntur nobis propter eius meritum, non solum condignum, sed etiam excedens & de rigore iustitiæ.

32. Nemo potest sibi mereri de condigno primam gratiam habitualem; idq; mihi videtur omnino certum, ita vt in dubium vocari non possit, sine ingenti temeritate. Et licet Concilium Trident: expresse hoc non definiat, satis tamen hoc significat. Postquam enim dixit, Iustificationem gratis fieri, postea agens de merito Iustitiæ solum dicit, iustum mereri augmentum gratiæ, non ergo primam gratiam.

33. Nemo potest de condigno mereri remissionem culpæ mortalis, quòd fortè est de fide: benè tamen iustus remissionem venialis, cum in illo reperiantur omnes conditiones requisitæ ad meritum de condigno, ita vt si quis per impossibile posset esse perfectè iustus ante remissionem peccati mortalis, mereretur illam de condigno. nihil enim aliud tunc illi ad hoc deesset.

34. Sed neq; potest quis de condigno mereri remissionem æternæ penæ, quod omninò certum est; (bene tamen temporalis, quæ semper ferè manet post iustificationem) imò neq; etiam perseuerantiam in gratia quomodocunq;

cunq; iuſtus quis ſit, qua de facto perſeueret, ſine mortalibus vſq; ad finem vitæ: quod eſt cōforme Tridentino habenti, perſeuerantiā eſſe magnū & gratuitum Dei donum.

35. Neq; etiam remparationē poſt lapſum quomodocūq; iuſtus ſit; poſſunt tamē iuſti de condigno mereri augmētum gratiæ & totius iuſtitiæ: quamuis D. Bonauentura meritum hoc nolit vocari de condigno: quia procedit ab habitu remiſſiori, ſed vocat de congruo & de digno: tamen hoc aſſertum noſtrum eſt tenendum vt omnino certum, & valde conſonum Conc. Tridentino.

36. Poteſt etiam iuſtus de iuſtitia mereri, auxilia neceſſaria ad ſeruanda mandata Dei, quod communiter Doctores inſinuant dum dicunt, Iuſtum poſſe mereri de condigno ea, quæ neceſſaria ſunt ad beatitudinem conſequendam. Qui enim finem meretur, meretur etiam media ad ipſum. Neq; videtur inconueniens vnum actum præſentem mereri per alium præcedentem.

## De gloriæ donis cadentibus ſub meritum.

37. DE fide eſt contra Hæreticos, eſſentialem gloriam, ſeu vitam æternam, cadere ſub meritum de condigno iuſtorum, eſtq; hoc manifeſtè expreſſum in Scriptura, in qua frequenter vita æterna promittitur tanquam merces & corona meritorum. Diciturq; ſecundum expoſitionem Patrum eſſe denarius diurnus, qui redditur operarijs in vinea laborantibus; & brauiūm propoſitum certantibus.

38 Prima gloria datur nobis ex merito Chriſti & interdum ſine merito recipientis, vt contingit in paruulis, qui nullum habuerunt meritum: & etiam in adultis, qui in inſtanti, in quo iuſtificantur, actum liberum non habent. vel

qui a-

quia actu non attendunt, vel quia non sentiunt, puta si quis ægrotus baptizetur, vel absoluatur ex præcedenti debita dispositione, absq; eo quod aliquē actū tunc exerceat.

39. Cum tamen aliquis Iustificatur per actualem dispositionem meretur per eam de condigno primam gloriam. Augmentum verò gloriæ de fide est illud cadere sub meritum de condigno. quod etiam de gloria accidentali certum est. Cadit enim sub meritum vt præmium secundarium & consequens ad primarium. Vnde qui meretur gloriam animæ consequenter meretur etiam gloriam corporis.

40. Bona verò temporalia secundū se & absolutè considerata, & prout ad præsentem vitam sunt vtilia, non cadunt sub hoc meritum, cum non sint bona simpliciter, sed tantùm secundum quid imo potiùs frequenter occasiones malorum, relata tamen ad gloriam, & prout interdum sunt aut necessarra, aut valde expedientia ad salutem, vt sic sub idem cadere possunt.

# De merito de congruo & conditionibus eius.

41. DAtur quoddam meritum apud Deum quod & si nō attingat perfectionem meriti de condigno, nihilominus meretur retributionem, diciturq; meritum de congruo. Et hoc falso fictum & Metaphorycum quid existimant quidam. Est enim verum meritum, quamuis non vniuocè sed Analogicè tantum conueniat cum merito de condigno.

42. Prima conditio ad illud ex parte operis requisita est vt fundetur in actu libero. nequit enim aliter imputari operanti, nisi liberum sit. Vnde valde errarūt Semipelagiani volentes ad hoc meritū sufficere opus, quod facturus esset homo

homo si viueret, etiãsi illud nunquã de facto operaturus sit.

43. Secunda vt moraliter opus sit bonum. Nam respectu præmii supernaturalis non potest esse meritum de congruo in opere Moraliter malo, quod attribui possit ipsi operanti, & ratione cuius illi vllo modo debeatur præmiũ etiam temporale. Ex abundantia tamen Diuinæ prouidentiæ interdum dantur hominibus bona temporalia propter opera vtilia ad bonum commune hominum, vel ad aliquem finem à Deo intentum, quamuis talia opera ab ipsis hominibus non rectè gesta sint.

44. Supernaturalitas operis in ordine ad præmium temporale vel merè naturale non est necessaria, neq; necesse est vt procedat à vero Gratiæ influxu: respectu tamen præmii supernaturalis aliter dicendum est. Nam inprimis de peccatore verum esse puto, eum de congruo non mereri aliquid supernaturale per opus merè naturale & acquisitũ, quod de existente in gratia probabilius mihi videtur: quamuis oppositum non iudicem improbabile.

45. Quarta cõditio regulariter requisita & maximè quando aliæ necessariè ad meritum de condigno concurrunt, vt tale opus non habeat condignitatem cum præmio: quando tamen aliquæ ex illis desunt, nihil obstat quod in opere sit proportio, vt ita dicam, æqualitatis. hac enim non obstante opus illud non erit meritorium de condigno, ob defectum reliquarum conditionum, sed de congruo tantùm.

46. Ex parte operantis respectu præmii naturalis, non est necessaria sanctitas personæ ad hoc meritum: respectu autem supernaturalis, quamuis aliqui dicant necessariam esse sanctitatem: oppositum tamen omnino mihi verum videtur, neq, est necessarium ad hoc meritum, sicut in merito de condigno, quod aliquis sibi ipsi mereatur. Benè enim potest vnus alteri mereri: est tamen necessarium vt ille, qui

mereretur, sit viator. Vnde falsò aliqui dicunt: Beatos posse mereri de congruo præmium accidentale.

47. Cum autem meritum hoc respectu supernaturalium donorum fundetur in meritis Christi Domini, à quo omnis benedictio spiritualis promanat, ex parte Dei necessaria est aliqua Dei ordinatio. Hoc enim meritum maximè pendet ex Dei placito, saltem quo ad actualem Dei ordinationem: Promissio verò Dei non est necessaria, quamuis non repugnet illā cōiungi cum aliquo merito de cōgruo, dummodo alia conditio desit, ex necessarijs ad meritum de condigno.

## De ijs quæ homo potest & sibi & alijs mereri.

48 CErtum inprimis est non posse hominem ante iustificationem mereri de congruo primum gratiæ auxilium; potest tamen iustificatus mereri secundùm supposito primo: imò & infusionem primæ Gratiæ habitualis, & remissionem mortalis in ipso iustificationis puncto (quæ est expressa D. Augustini sententia) idq; per vltimam dispositionem ad ipsam, non potest enim per dispositionem remotam immediatè & per se mereri hoc, cū prima gratia de lege ordinaria, non detur intuitu talium operum.

49. Potest etiam iustificatus mereri de congruo perseuerantiam in gratia, quāuis augmentum gratiæ & gloriæ propriæ & immediatè non mereatur. De reparatione verò post lapsum vtraq; sententia videtur mihi probabilis. Et affirmatiua quidē habet locum; quando iustus peccat ex vehemēti fragilitate & occasione. Negatiua verò, quæ est D. Thomæ, quando ex malitia, & nimia negligentia.

50 Non potest iustus mereri alteri gratiam aut gloriā de condigno Soli enim Christo Domino id in Scriptura tribuitur. Na-

tur. Nam solus ipse habuit gratiam capitis per se ordinatam ad bona aliorum: de congruo tamen quamuis non possit mereri vnus alteri immediatè gratiam habitualem vel gloriam, quæ non dantur sine propria recipientis dispositione: potest tamen auxilium, quo se disponat, primam etiam vocationem, non tamen prædestinationem. cum ipsum meritum pro alio sit effectus prædestinationis illius, cui tale meritum prodest.

*Disputabũtur Cracouiæ in Ecclesia Beate Mariæ Virginis in Arenis Fratrum Carmelitarum, per tres dies videlicet Die prima 3. & 5. Septembris.*

*A. D. 1619.*